



S Meinradus filius fuit Berchtoldi comitis Sul-
gouiæ ad Danubium, quem mater post diu-
turnas preces tandem in lucem edidit, cum uotum
fecisset, sese suum primogenitum Deo atq; diuinis
officijs oblaturum. Itaq; ipse à parentibus bonis li-
teris institutus, in Monasteriū celebre Richenauū
collocatus fuit, ut ibidem Deo per uitam suam in-
seruire posset. In eo loco ita in studijs progressus
est, ut breui tempore aliorum iuuenum, qui ibi reli-
gionis causa instituebantur, præceptor constitutus
fuerit. Cum autem uideret homines ibidem uolu-
ptatem sequi, & meliora studia cum precibus diui-
nis negligere, ipse aliam uitam respicere cœpit. Ita-

que primò (relicto eo monasterio) altissimum montem Etzel ad lacum Tigu-
rinum inhabitare cœpit. postea etiam ulterius progressus, dēfissimam syluam
accessit, atq; ibidem Eremitam agere statuit. In eo loco quorundam incolarū
opera adiutus cellam & domunculam quandam ædificauit, in qua diutinis
orationibus Deum interpellauit, atq; homines ad se uenientes in uera fide in-
stituit, anno post Christum natum 860.